

pudicitiae mulieris consultum est: mariti vero pietatem ac probitatem Deus illustriorem facere dignatus est, exhibens ei maximum virtutis praemium, illaetam intactamque vxorem, quae minimum a constupratione abfuerat, mater mox fu-

tura non filiorum filiarumque, sed gentis integrae, & quidem Deo gratissima, quippe cui contigerunt vates ac sacerdotes in publicum vsum totius generis humani. Haetenus

Philo.

CAPITIS DECIMITERTII

Argumentum, Partitio, Vfus.

Tria hoc capite memorantur de Abramo. Primum quod à Pharaone dimissus ex Aegypto redierit cum suis in Cananaeam: Deinde quod ob lites pastoritias Lothum nepotem à se dimiserit. Denique quod in fide promissionis prius acceptae nouo oraculo fuerit confirmatus.

Historia est vberissima doctrina, proponens exempla variarum virtutum: in Abramo cum primis constantis pietatis, quae rursus in principio & calce capitis celebratur, item charitatis, modestiae atque prudentiae singularis, quas intueri & imitari conuenit, siquidem veri Abrami filii haberi volumus.

Prima est de reditu Abrami ex Aegypto in Cananaeam usque ad vers. 5.
Secunda: De diuortio Abrami & Lo-

thi, eiusque causis, usque ad vers. 14.
Tertia: De repetita Abramo promissione terrae & seminis inde ad finem.

PRIMA PARS CAPITIS

Reditus Abrami in Cananaeam.

1. Ascendit itaque Abram ex Aegypto: ipse & vxor, & omnia quae erant ei: & Lot cum eo ad meridiam.
2. Abram autem erat diues valde pecoribus argento & auro,
3. Perrexitque per profectiones suas à meridie usque ad Bethel, ad locum usque, vbi fuerat tabernaculum eius in principio: inter Bethel & inter Ai.
4. Nempe, ad locum altaris, quod fecerat ibi in principio & inuocauit ibi Abram in nomine Iehouae.

EXPLANATIO.

- A**SSCENDIT ITAQUE ABRAM A ERAT: nec Deum tentare voluit: In Cananaea forte nondum conqueuerat famem. Tamen eo redire non dubitat, quia spe iam propriam possidebat: sed duae priores causae videntur exprimi in historia: *Vna*, quod viderat se commeatu satis instructum diuinitus ad tolerandam famem: *Alter*, quod ad altaria sua & exercitia prima cultus diuini rediret

Sss 3. desi.